



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 4. Cujus periculo fieri debet restitutio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Resp. V. Quæ debentur ex donatione, legato, testamento, tradi debent in loco ubi erant, cum donarentur (nisi aliud in ipsa dispositione expressum sit) & impensis ejus, cui donata sunt. *Ita omnes.* nam qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad amplius obligare. Si tamen hæres eam alio transferret, teneretur suo sumptu illam remittere in locum ubi erat prius. *Ita Lessius.*

Q. 4. Cujus periculo fieri debet restitutio?

Resp. I. Restitutio faciendâ ratione injuriæ, fit periculo debitoris. *Est communis.* quia ratione injuriæ tenetur Dominum prorsus indemnem servare, & sic debet subire omne damnum, ac periculum: Dominus enim nullum debet pati damnum ex injuria sibi illata. Et quia *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur.* c. ult. de Depos.

Hinc *ex communi,* si debitor adhibitâ maximâ diligentiam rem nuntio, quem putat fidelem, vel Confessario tradat restituendam Domino, & hi sive culpate, sive inculpate rem Domino non reddant, tenetur iterum ad idem restituendum, donec re ipsa Dominus accipiat. Quod si pluries idem restituere tenetur, id fit per accidens, & sibi imputare debet, nam *Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Reg. Jur. 86. in 6.

Restitutio autem rei alienæ in individuo faciendâ à possessore bonæ fidei, fit periculo Domini, modò possessor eam remiserit per
homi-

hominem, quem prudenter judicabat esse red-
diturum, ex L. 20. ff. *Commodat.* quia seclusis,
culpâ, morâ, & pacto, res perit Domino.
Hinc restitutio rei commodatæ, locatæ, de-
positæ, fit periculo Domini, si nulla interve-
niat culpa restituentis.

Resp. II. Ex communi, solutio debitorum
ex contractu facienda ex bonis debitoris, ejus
periculo fit, ita ut si pecunia eorum solutioni
destinata surripiatur, vel ab eo, cui restituenda
commisit, amittatur, aut retineatur, ipse
teneatur aliam dare creditori: quia res perit
Domino, & res Dominus pecuniæ tuæ, donec
creditori tradatur; tunc enim solum à te in il-
lum transfertur dominium. Nisi tamen cre-
ditor miserit, vel designaverit hominem cer-
tum, cui pecuniam committas; hic enim ac-
cipit loco creditoris, sive creditor censetur
accepisse per designatum. Quare si hic pecu-
niam amittat, vel retineat, damnum est cre-
ditoris, non tuum, l. 39. & 49. ff. *de Solut.*

Q. 5. Quo ordine restituendum est?

Not. Quando bona debitoris in solutionem
omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus
ullo ordine, cum omnibus satisfaciendum sit.

Resp. I. Ex communi, quando res aliena ex-
tat in se, restitui debet Domino, nec potest
aliis in solutionem dari: quia debitor debet
solvere ex bonis propriis, non alienis: nam
rei dominium nequit transferri ab eo, qui il-